

S. G. B. T. B.

1661

26. A.h

Min / A

T. q. 259.



44

COLLEGII TERTII  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO VIII.

Quæ secunda est de Quæstione,

Antotalex Decalo-  
gi servari possit.

*Proposita.*

In Electorali Academia VVittebergensi

P R A E S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

R E S P O N D E N T E

M. DAVIDE MALICHIO, Gryphem-  
bergâ Pomerano.

*In Auditorio Collegii Veteris*  
*Ad diem 25. April.*

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.  
ANNO M DC XXX.



卷之三



D. O. M. A.

*Continuatio.*

**B**RÆCEDENTIS DISPUTATIONIS PARTE POSTERIORI VIDIMUS, QUIBUS ARGUMENTIS BECANUS PROBARE CONATUS FUERIT, TOTAM LEGEM DECALOGI A FIDELIBUS SERVARI POSSE; CAQ; SOLIDIS AB IPSO SPIRITU SANTO SUPPEDITATIS RATIONIBUS AC FUNDAMENTIS, CONTRA QX VEL PORTÆ INFERORUM NON PRÆVALEBUNT, DEO SINT GRATES, REFUTAVIMUS: CONSEQUENS EST, UT AD ALTERAM PARTEM ISTIUS DISPUTATIONIS NOS ACCINGENTES, EJUSDEM NOSTRI ADVERSARII RESPONSIONES, QUIB. ARGUMENTA NOSTRA, QUIBUS CONTRARIU DEMONSTRARE SOLEMUS, NEMPÈ, TOTÄ LEGEM A NULLO HOMINU, VEL SANCTISSIMO, IMPLERI SIVE SERVARI POSSE IMPUGNAVIT, EXAMINEMUS, & PALAM DEMONSTREMUS, QUOD, LICET SOPHISTA NULLI FALLENDI ARTIFICO, NULLI CALUMNIÆ, NULLI DENIQUE MENDACIO PARCAT, NIHIL TAMEN CONTRA VERITATEM EFFICIAT; SED POTIUS, QUO MAGIS PETATILLA, PREMatur, AGITETUR, EO MAGIS PRÆVALEAT, SECE ERIGAT, SPLENDEAT, & TANDEM VICTORIAM REPORTET.

T H E S I S I.

NOstra ergo argumenta examinare incipit BECANUS §. 37. *HeC sufficiunt, inquit, contra adversarios. Videamus nunc, quid pro se afferant. Primum objiciunt illud Act. 15. v. 10. Quid tentatis imponere jugum super cervices discipolorum, quod neq; Patres nostri, neg; nos portare potuimus? HeC sunt verba Petri Apostoli, quibus testatur legem esse jugum importabile, neq; nos posse salvati per observationem legis, cum ea impos-*

fibilis sit, sed per gratiam Dei, quæ à legis jugo nos liberat. Respondeo, certum est, Petrum non loqui de lege morali, quæ continetur in Decalogo, & de qua h̄c disputamus, sed tantum de ceremoniali. Contendit enim Christianos non esse obligandos ad circumcisionem & similes ceremonias Iudaicas, idq; propter duas causas. 1. quod sunt jugum grave & importabile, 2. quod sunt inutiles ad justificationem. Hanc posteriorem causam clarius expressit D. Paulus ad Galat. 4. v. 9. nunc autem cum cognoveritis DEVM, imò cogniti sitis à Deo, quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò servire velitis? Porrò lex ceremonialis vocatur jugum importabile, non quod portari omnino non posset, sed quod agrè & difficulter, ut rectè exponit D. Thomas in 2. distinct. 28. quæst. 1. art. 4. ad 3. Lyran. in hunc locum & alii. Nam si omnino portari non posset, mentitus eſſet Evangelista, cum dixit de Zacharia & Elisabetha Luc. 1. v. 6. Erant ambo justi ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela. Eodem sensu Christus traditiones Pharisæicas vocat onera importabilia Matth. 23. v 4. Alligant enim onera gravia & importabilia. & imponunt in humeros hominum: Digito autem suo nolūt ea movere.

II. Ut ergo argumenti hujus nostri nervum incidat Beccanus, negat agere allegatū Petri dictum de lege morali, sed tantum ceremoniali. Non quidem imus inficias, horum Petri verborum occasionem fuisse circumcisionem; quandoquidem Pharisæi credentes urgebant, circumcidendos esse ex Ethnicis ad Christianismum conversos, cogendosque ut servarent legem Moysis, nempe ceremonialē v.5.

III. Hic ergo erat status controversiae: & decernebatur à Petro, non cogendas esse conversas gentes ad observationem legis illius ceremonialis. Ratio autem illius decreti sunt verba ejusdem Apostoli, quæ nos urgemuſ: Distinguat tamen Jesuita inter decretum ipsum & rationem decreti: illud esse potest speciale: non autem statim necessarium est, rationem non altius assurgere & longius repeti.

IV. Luc. 11. v. 15. Objiciebatur Christo se ejicere demonia per Beelzebub principem dæmoniorum. Negat Christus, & addit statim suæ negationis rationem v. 17. Omne regnum adversus seipsum divulgum,

*sum, desolatur, & domus supra domum cadit.* Hic certè negari non potest, quæstionem esse specialem de regno Diaboli, an illud ita adversus sese partitum sit, ut unus oppugnet, & expellat alterum: Rationem autem, quâ illa à Christo negatur, esse etiam specialem, & tantum de regno Diaboli intelligendam, qui assertet, sensu communi caret, Christumq; vitiosè idem per idem, & sic nihil probare calumniatur.

V. Idem omnino de hac Petri consultatione statuendum, quod in eâ altius assurgat ratio. Imò id etiam erat necessarium: Cum ceremoniarum usus nunquam bene possit intelligi, nisi relate ad legem moralem. Nam licet triplex fuerit lex apud Judæos, Moralis, Ceremonialis & Forensis; utraque tamen *hæc* posterior ancillabatur legi morali: cum ceremonialis prima, Forensis, secundæ tabulæ præcepta determinaret; sicq; illa Deum immediatè, ista proximum respiceret.

VI. Hinc Apostolus etiam Paulus, cum ad Galatas scriberet, & de hac ipsa Circumcisione disputeret, necessitate rei coactus fuit in genere de universa lege docere, & in tractatione generali hujus propositionis, disputationem suam includere cap. 2. *Non justificari hominem ex operibus legis.* Quandoquidem firmissima omnino consequentia est: Qui per nulla omnino universæ legis opera potest justificari, is neq; per Circumcisionis opus justificatur: Qui enim tollit omne, nihil relinquit. Atque hinc etiam c. 5. v. 3. disputationem hanc absolvens Paulus, in *hæc* verba definit: *Quicunq; circumciditur, debitor est totius legis servandæ:* & dehinc v. 4. pergit de universa lege concludere: *Christus vobis factus est otiosus per vos ipsos, quicunq; per legem justificamini, & a gratiâ excidistu.* *Quis ergo in Petro mirabitur, vel etiam inficiabitur,* quod in Paulo non potest non videre manifestissimum.

VII. Vis ergo consultationis Petrinæ *hæc* est: Qui Deum tentant, graviter peccant: At Doctores circumcisionis Deum tentant: Ergo graviter peccant. Major est certa: sic enim Christus Matth. 4. v. 7. ex Moysi Deut. 6. v. 16. *Non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum.*

VIII. Minorem porrò probat Petrus: *Quicunq; impo-*  
*nunt*

nunt jugum universæ legis super cervices discipulorum importabile, illi Deum tentant: Atqui Doctores circumcisionis imponunt jugum universæ legis super cervices discipulorum importabile: Ergo Doctores Circumcisionis graviter tentant Deum. Major est certa. Nam is revera Deum tentare dicitur, qui viribus suis impossibilia sine verbo Dei præsumit, vel ab aliis exigit. Minor probatur: Quicunq; urgent circumcisionem, tanquam necessariam, illi onus & jugum legis universæ impossibile imponunt cervicibus discipulorum: Hoc faciunt Doctores circumcisionis, Ergo &c. Minor rursus probatur. Nam circumcisione presupponit onus ac jugum universæ legis, proindeq; importabile, quod quidem hic à Petro non additur, ab Apostolo vero Paulo diserte affirmatur loco modo allegato ad Gal. 5. v.3. Quicunq; circumciditur, debitor est universæ legis.

I X. Deinde negamus legem ceremonialem per se esse jugum importabile. Quod enim onus importabile est, eo non defunguntur homines; Atqui ceremonialium legum onere multi non tantum sancti, sed etiam hypocritæ sunt defuncti; Ergo legum ceremonialium onus non fuit importabile: Propterea iis Petri verbis non sunt significatæ: sed leges morales, quæ perfectam omnium internarum virium requirunt obedientiam.

X. Si ergo omnino etiam ad leges ceremoniales hoc fuerit extendendum, fieri illud non potest, nisi propter legem moralem, cui ancillantur, h.e. propter ipsam obedientiæ rationem, quam habent non in se, sed in lege morali, quæ præcipit Deum amari toto corde, proindeq; ei obtemperandum esse in omnibus, & sic quoq; in hisce ceremonialibus legibus.

X I. Tertio concedimus quod Paulus ad Galat. 4. explicato beneficio planè divino, quod per prædicationem Evangelij Galatis sit orta nova lux agnitionis veri Dei &c. objurgationem inferat v.9. Quod jam nimis per agnitionem veri Dei & quem misit, Jesu Christi in plenam libertatem filiorum Dei sint asserti, atque sic liberi redditi non à peccatis tantum, sed ab humanarum etiam traditionum decretis demiretur, ipsos con-

verti

verti rursus ad elementa mundi, hoc est, ad ejusmodi constitutions, quæ, licet olim sub veteri Testamento suum habuerint usum ex Dei ordinatione, nunc verò post adventum & apparitionem Christi, suo sint munere defunctæ, ideoque prorsus antiquatæ, ac proindè in usum non revocandæ, nedum ut aliqua spes justitiae & salutis in iis collocari debeant.

XII. Hæc, inquam, sunt longè verissima: verum indè non licet inferre, leges ceremoniales ad Galat. 4. v. 9. dicuntur inutiles ad justificationem & salutem: Ergo è contrario doceatur leges morales sunt causæ vel suppeditant causas nostræ justificationis & salutis: Nam licet, ut diximus, à c. 2. usque ad 5. disputeret Paulus de circumcisione, quod nihil faciat ad justificationem & salutem: Hujus tamen suæ disputationis fundatum ponit in remotione universæ legis, ad Gal. 2. v. 16. Scimus non justificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi: Ergo ibi opponit omnia opera legalia fidei Jesu Christi, & huic soli attribuit quod justificemur; illa contrâ omnia ex actu & causis justificationis removet, & hoc non sine emphaticâ repetitione, quando statim illo ipso versu subjicit: Ut justificemur ex fide Jesu Christi, & non ex operibus legis: Propterea quod non justificabitur ex operibus legis omnino caro.

XIII. Quartò interpretatio illa ac ratio, quod lex hæc dicatur jugum importabile, non quod portari omnino non possit, sed quod ægrè ac difficulter portetur, falsa & nulla est. Nam non dicit Petrus ad mentem Beconi δυσβατηγον πορτατο difficile, sed, σον ιχνους πληβασύσας, nequivimus portare. Sanè hæc maximo disparata sunt intervallo. Quandoquidem hæc Petri phrasis non tam indistinctè naturam rei definit, quam certam designatamque experientiam distinctè indicat. Non enim disputat, quid opere ipso præstiterint homines, sed quid præstare potuerint: Nec de vulgo hominum loquitur, sed de sanctis Patribus, nempe quod illis impossibile fuerit, onus sive jugum legis portare. Legem portare, est legi satisfacere ad justitiam. Cum igitur ab istis sanctis Patribus nempe Abrahamo, Moysè, Davide &c. neget, potuisse ferri legis jugum, constat legem observatu impossibilem esse.

14. Con-



XIV. Confirmatur hoc per oppositionem gratiæ Domini, quando Petrus pergit v. II. Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos salvos futuros, quemadmodum & illi. Est enim idem, quod Apostolus Paulus disputat Rom. II. v. 6. Quod si per gratiam salus obtingat, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non esset gratia: si nimis operum merito adjungerentur: sin verò ex operibus salvamur, non jam ex gratiâ, alioquin opus jam non esset opus. Qui locus abundè docet, gratiam Dei & operum nostrorum merita simul consistere non posse. Idem, inquam, hoc loco dicit & docet Petrus, monstrans simul gratiæ illius mediatorem sive ὁ Χριστός Christum Jesum esse, in quo Patrem nobis reconciliatum esse cœlesti oraculo edocemur Matth. 3. & 17. Postremò, gratiam hanc rursus non operibus, sed fide apprehendi testatur. Nam credimus, inquit, nos per gratiam Domini nostri Iesu Christi. Paucis ergo & minimè ambiguis verbis universa salutis ratio comprehendendi poterit, si nos gratiâ Dei in Iesu Christo, per fidem, salvari dicatur, quæ omnis tum Propheticæ tum Apostolicæ doctrinæ summa est. Unde rursus concludimus ex hoc loco Petrino, si Apostoli & quæ fuerunt per gratiam servati. Ergo sunt servati per remissionem peccatorum. Ubi autem peccata sunt remissa, ibi lex non est servata. Quocirca illud, γνωσθεὶς μηδὲ βασίσθε, non significat, servavimus quidem, sed non sine magna difficultate, tum enim non peccassent, sed potius, non servavimus, etiam si multum in eo laboraverimus, ut servaremus.

XVI. Manet ergo sententia Petrina certa & rata, neminem vel sanctissimum jugum legis portare, hoc est, legi satisfacere posse. Nam sanctissimorum Patrum hæ voces non sunt, Nos legisatisfecimus, perfectè obedivimus, te Deum nostrum toto corde dileximus, & quæ tua voluntas à nobis requisivit, fecimus: Nequaquam verò: sed, si iniurias nostras observaveris, Domine, quis sustinebit? Nec intras cum serua tuo in judicium, Psalm. 130. & 143. Omnes justitiae nostræ tanquam Pannus menstruatæ mulieris Esa. 64. Peccavimus, iniuriam fecimus, impie egimus & rebellavimus, & recessimus à mandatis tuis & iudicio tuis: Neque obedivimus servis tuis Prophetis: Tibi, Domine, justitia, nobis autem pudor facie: O Iehova nobis pudor facie; Regibus nostris & patribus nostris, qui peccavimus tibi, &c. Dan. 9.

17. Ou-



XVII. O utinam hoc expenderent hodie Jesuitæ & Papani cæteri, facile viderent, se nullam in nos debachandi causam habere: Quin potius culpam suam & peccata sua cum Patribus, Patriarchis & aliis verè piis ac Christianis agnoscerent, nec tam improbè Dei gratiam & Christi meritum suçata sua hypocrisi conculcarent.

XVIII. Quintò, quando autem ita scriptura sacra nos informat, non est necesse, ut sibi contradicat & mentiatur (ut quidem Beccanus calumniatur) quando *Luc. 1. v. 6. de Zacharia & Elisabetha* testatur, quod fuerint ambo justi ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela. Sufficienter tamen ad hæc exempla supra, non nostris, sed ipsius Apostoli verbis respondimus, nempe, fuisse quidem Zachariam in numero illorum, qui inter sacerdotes laudabiliter justi vixerint; habuerunt tamen necessitatem, sacrificium primitùs pro suis offerre peccatis, solo Christo existente, cuius venturi figuram gerebant, qui hanc necessitatem sacerdos incontaminabilis nō haberet. Unicum tantum Augustini repetam *l. 2. de peccat. meritis & remiss. c. 13.* Ubi cum docuisset, Paulum suam illam justitiam inhærentem habuisse pro detimento & stercoribus: *Tantum ergo longè est, inquit, ut propter illa verba Zachariam & Elisabeth sine ullo peccato credamus perfectam habuisse justitiam, ut nes ipsum Apostolum ad ejusdem regulæ summitatem arbitremur fuisse perfectum.*

XIX. Quod tandem objicit locum *Mattb. 23. v. 4.* quod ibi Christus eodem sensu dicat traditiones Pharisæicas onera importabilia, falsum est. Non est hic, importabilia, sed portatum difficultia, δυσβάσια, quod est, onerosa, vel, ut diximus, portatu difficultia: quod magno discrimine distat à phrasí, quā hic uititur Petrus: Nam ἵχυω, est possum, valeo: & βασιζω, est porto, gesto: ergo: επειδής ἵχυσα μηδέ βασισα, ut habent Petri verba, hunc habet sensum: nego nos possumus vel valimus portare. Quam significationem nequaquam habet vox Christi, sed, ut diximus, tantum onerosum ac difficile significat: Ergo nequaquam potest hic locus cum illo conferri, vel ille per hunc explicari.

XX. Progreditur Beccanus §. 38. ad secundum nostrum

B.

argu-

argumentum desumptum ex epistola ad Galat. 3.v. 10. ubi pri-  
mum argumentum format: & ejus formam accusat his verbis:  
Secundo objiciunt illud Apostoli ad Galat. 3. v. 10. Quicunque ex operibus  
legis sunt, sub maledicto sunt: Scriptum enim est: Maledictus omnis, qui non  
permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Hic sup-  
ponit Apostolus legem Dei esse impossibilem, ut colligitur ex ipsius discurso,  
qui est hujusmodi: Quicunque non servat totam legem, est maledictus: Ergo  
qui volunt justificari ex operibus legis seu ex observatione legis sunt maledic-  
ti. Quæ consecutio nulla esset, nisi subintelligatur assumptio ista; At qui nul-  
lus potest servare totam legem. Totum ergo argumentum erit tale: Qui-  
cunque non servat totam legem, est maledictus. At nemo potest servare to-  
tam legem, Ergo maledictus omnis qui ex observatione legis vult justificari.  
Respondeo, hic Syllogismus non est Apostoli Pauli, sed est alicujus Calvinistæ  
qui in multis peccat. 1. in forma, nam servata majori & minori propositio-  
ne, deberet hoc modo concludere, Quicunque non servat totam legem est ma-  
ledictus; Sed nullus servat totam legem, Ergo omnes sunt maledicti. Velsic:  
Quicunque non servat totam legem est maledictus. Sed fideles (præsertim  
Calvinistæ) non servant totam legem. Ergo Fideles (præsertim Calvinistæ)  
sunt maledicti.

XXI. Respondemus, concedere nos syllogismum ita  
formatum, in formâ peccare. Sed quæritur, quis illum ita for-  
maverit: Calvinus ne? Non sanè. Nam Calvini argumentum  
non est syllogismus perfectus, sed Enthymema. Est ergo Bec-  
ani, Calvino illumi affingentis. Ut autem perperam syllogismus  
primū est à Becano nomine Calvini formatus: sic pessimè cor-  
rigitur. Atque eo ipso ignorantiam Logicam prodit Jesuita,  
qui nondum scit, quomodo Propositio in Enthymemate defi-  
ciens inquirenda eaq; syllogismus perficiendus.

XXII. Tirones in nostris Scholis optimè norunt, quan-  
do volunt Enthymematis inquirere propositionem deficien-  
tem, & inventâ integrare Syllogismum, quod tum Propositio-  
nem actu positam, sive Antecedens conferre debeant cum cō-  
clusione, & observare an subiectum, an verò Prædicatum con-  
clusionis sit in Antecedente: Quando Prædicatum adest, tum  
minor Propositio est omissa, quando verò subiectum actu po-  
nitur,

nitur; major est omissa, Terminus autem qui in conclusione non est, est medius. Omissus ergo terminus ex conclusione est sumendus, & cum altero termino Propositionis sive Antecedentis, qui in conclusione non est, conjungendus & rite inserendus, statimque syllogismus exurgit perfectus.

XXIII. Quod si observasset vel scivisset Becanus, nequam scripsisset, hanc propositionem subintelligendam esse: Atqui nullus potest servare totam legem. Nam hanc non esse minorem omissam in Enthymemate Calvini ad oculum demonstrabo. Enthymema est: *Quicunq; non servat totam legem, est maledictus;* Ergo, *Qui volunt justificari ex operibus legis seu observatione legis, sunt maledicti.* In Antecedente subjectum est: *Qui non servant totam legem;* Prædicatum est: *sunt maledicti;* Conclusionis seu consequentis subjectum est: *Qui volunt justificari ex operibus legis seu observatione legis;* Prædicatum est: *sunt maledicti;* Manifestum ergo est, quod propositio illa actu posita sit major, & sit omissa minor. Quia subjectum conclusionis semper est minor terminus, qui cum altero termino propositionis tanquam medio connexus, constituit minorem propositionem. Ille autem est: *Quicunq; volunt justificari ex operibus legis: qui conjungatur cum residuo in propositione;* *Qui non servat totam legem;* *Qui mihi faciunt hanc propositionem;* *Qui volunt justificari ex operibus legis sive observatione legis, non servant totam legem: non illam, quam fingit Becanus:* Nullus (scil. homo) servat totam legem. Nam ille terminus, (Nullus homo) neque in Antecedente neque in Consequente est. Ergo eiusmodi Syllogismum: *Quicunque non servant totam legem, sunt maledicti;* *Qui volunt justificari ex operibus, non servant totam legem,* Ergo qui volunt servari ex operibus, sunt maledicti.

XXIV. Hic & nullus alius syllogismus potentia continetur in Enthymemate posito. Nunc sumat perspicillum Becanus, & introspectat penitus in omnes ejus partes naturamque illarum studiosè, expendat denique, an peccatum formæ committatur. Quicquid autem insulsus hic logicus judicet, dicimus nos scimusque per veram ac immotam scientiam, syllo-

gismum optimum esse, dispositum in primâ figurâ ejusque primo modo quem barbarè *Barbara* vocant. Quæ cum ita sint, per se liquet, quomodo ineptissimus hic *Logicus* in syllogismi, in se male confessi, emendatione ineptiat. Planè enim impossibile est, ejusmodi syllogismos, quales de novo fingit, ex Enthymemate dicto formari posse. Hæc tironibus nostris nota sunt, & ignorantur à magno hoc *Thrasone* Jesuita, cuius ordinis homines sibi alias imaginantur, se Aristotelem cum universo suo organo dudum devorasse, & concoxisse, & in succum & sanguinem transmutasse.

XXV. Dehinc progreditur *Becanus* & probare conatur, peccatum esse in explicatione *Pauli*: secundo, inquit, peccat in explicatione verborum *Pauli*. Nam illa verba, qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt, non significant eos esse maledictos, qui legem implendo justificari volunt, cum dicat idem *Apostolus Rom. 2. v. 13*. Fatores legis justificabuntur, sed eos esse maledictos, qui suis viribus sine fide & gratia legem implere & justificari se posse credunt. Hoc patet ex antithesi. Nam opera legis opponit fidei, ut patet ex illis verbis: *Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Similiter eos qui sunt ex fide, opponit iis qui sunt ex operibus legis: *De prioribus dicit qui ex fide sunt, benedicentur cum fidei Abraham: De posterioribus vero;* Qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Hinc sequitur, minorem propositionem, quam *Apostolus* subticuit, non esse hanc Calvinisticam; Atqui nemo potest servare legem, sed illam Catholicam: Atqui nemo suis viribus sine fide & gratia potest servare legem. Itaque argumentum *Apostoli* habet hanc vim: *Quicunq; vult justificari ex operibus legis, debet totam legem servare.* ( Nam si totam non servat, maledictus est, vel, ut loquitur *Jacobus*, qui offendit in uno, factus est omnium reus) sed sine fide per solas naturæ vires nemo potest servare totam legem: Ergo sine fide per solas naturæ vires nemo potest ex operibus justificari. Hinc patet, quo sensu intelligendum sit, quod sequitur; *Christus nos liberavit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Non enim significat, *Christum* nos liberasse ab observatione legis, quasi ea impossibilis sit, ut falsò interpretantur *Adversarij*, sed liberasse à maledictione quæ pravaricatoribus legis impendet, *Quia scilicet per sua merita*

*merita obtinuit nobis fidem & gratiam, per quam possimus implere legem & maledictionem evadere.*

XXVI. Primum respondemus, non peccare nos in explicatione verborum Pauli, sed egregie impingere Beccanum, ut ex contextu quilibet facile intelligit. Quandoquidem statim versu subseguente II. inquit Paulus: *Quod autem in lege nullus justificatur apud Deum, manifestum est.* Et addit rationem: *Quia iustus ex fide vivit.* Hoc verò, quod Apostolo manifestum est, id Beccano non tantum est obscurum, sed penitus falsum. Satis clara enim ejus sunt verba, eos nimirum nequam maledictos esse, qui legem implendo justificari volunt. Quid est contradicere Paulo, si hoc non est? Is enim in lege, inquit, nullos justificari. Quid autem hoc aliud est dicere, quam qui legem implendo justificari volunt, non justificantur?

XXVII. Quod porrò addit Pauli mentem hanc esse, nimirum eos esse maledictos, qui suis viribus sine fide & gratia legem implere & justificari se posse credunt. Respondemus hanc limitationem, neq; hoc loco neq; alibi ab Apostolo Paulo addi: sed simpliciter opera legis opponi fidei, & sic simul fidem & opus fidei, ut sic ex justificationis èuseyeia omne omnino opus excludatur, & solum meritū Christi applicatum, relinquatur. Propterea addit *Justus ex fide vivit:* nempe ex fide non in opera sua, sed in solum Christum, ut sic non fides ut *Qualitas* sive opus justificet, & homo eā vivat, sed merito Christi fide applicato.

XXVIII. Et quod Paulus immediate subjungit, idem evidenter evincit. *Lex non est ex fide: Sed qui fecerit ea homo, vivet in eis.* Id est, Lex non docet justificationem ex fide, quæ est mendica quædam manus, gratisque ac precario indignissimis justitiam alienam impetrat: sed dicit, eum deum justum salvumq; fore, qui perfectissimè omnibus Dei mandatis satisficerit. Quia autem hoc nemo hominum præstare possit, etiamsi Spiritus sanctus in eo efficax sit & operetur: Quandoquidem renatantum primitias spiritus in hac vitâ accipiunt, Rom. 8. v. 23. & volentibus ipsis facere bonum, adjacet malum, Rom. 7. v. 21. Quare addit Paulus hoc loco v. 13. *Christus nos redemit ab execratione*

legis, dum pro nobis factus est execratio, ( scriptum est enim execrabilis omnis qui pendet in ligno ) ut in gentes benedictio Abrahæ veniret per Christum Jesum, ut promissionem spiritus acciperemus per fidem.

XXIX. Non ergo lex, sed Christus in Evangelio oblatus, & fons salutis ac justificationis nostræ; quem hic vocat Apostolus benedictionem Abrahæ, quia ipsi ejusq; hæredibus est promissus. Promissionem porro spiritus vocat *promissum*. Spiritum sanctum cum adjunctis bonis, justitiâ, adoptione, reconciliacione & vitâ æternâ. Deus enim extra nos existens donat nobis fidem, qua nos trahit ad filium, quo postea apprehenso filio simul accipimus justitiam imputatam & spiritum regeneratorem, simusq; templa Dei. Spiritus ergo ab extra in nobis excitat aliquam scintillam fidei, apprehendentem Christum & quoq; ipsum spiritum, ut intra nos habitet.

XXX. Atq; sic, ( quicquid etiam ogganniat Becanus ) habetur hisce versiculis Paulinis plena descriptio nostræ redēctionis aut benedictionis; Unde porro necessariò sequitur, Paulum disertè docere, hominem justificari fide in Christum sine operibus, Proindeque Becanum omnesq; Jesuitas PseudoApostolos esse, quod doceant contra Paulum, opera quoq; pertinere ad justificationem.

XXXI. De cætero, rationes quas pro suâ interpretatione adducit Becanus, magni momenti non sunt. Nam quod Paulus Rom. 2.v.13. scribit: Factores legis justificari, non auditores: non id vult Apostolus, esse aliquos, qui verè ac reipsâ legem faciant aut præstent: sed de jure tantum, non de facto loquitur; quod lex requirat plenissimè sibi satisfieri, & non tantum se audiri, quodq; illi demum per eam justificantur, qui ei plenissimè obediant, quos tamen nusquam esse, tribus capitibus ibidem ex professo demonstrat.

XXXII. Deinde, quod Apostolus simpliciter opponat respetu actus justificationis, opera & fidem, & illos, qui sunt ex fide justificati & reliquos, qui sunt ex lege; hoc est qui ex lege justificari volunt, concedimus libenter. Quia verò opposita sunt, perperam conjunguntur, nempe opera & fides: Quod verò, sibi contradicēs, facit Becanus cum

cum suis Papanis; sic argumentor: Quæcunq; oppontuntur respectu justificationis ut unum alterum ex eensi causa excludat, illa non debent sumi ut causæ sociæ: Atqui, fatente ipso Becano, fides & opera legis respectu justificationis opponuntur, ut se invicem excludant: Ergo fides & opera legis non debent sumi & conjungi ut causæ sociæ, nempe in actu justificationis.

XXXIII. Eodem modo censendum est de illis, qui ex fide justificantur, & qui ex operibus justificari volunt. Si enim & illi sunt oppositi, & se invicem excludunt, sic rectè & verè argumentor: Qui sunt oppositi, illi non in eodem subjecto concurrunt: Ad iustificati ex fide & iustificati ex operibus sunt oppositi: Ergo in uno subjecto non concurrunt. Et per consequens, qui sunt ex fide iustificati, illi non sunt ex operibus iustificati: Et contra qui volunt ex operibus iustificari, non sunt ex fide iustificati. Proindeq; simpliciter falsa hypothesis est illa Becani, *Illos, qui fide prædicti sunt, & gratia Dei legem implere, & sic simul fide & operibus iustificari posse:* cum iustificati ex fide non possint velle iustificari ex operibus: Et volentes iustificari ex operibus, sibi falso persuadeant, quod veram fidem habeant, eaque iustificantur: quia enim ex operibus legis sunt, h. e. se iustificari ex operibus suis sibi persuadent, sub maledicto sunt: Idq; propterea, quia opera illa sunt imperfecta: Lex autem non nisi perfectum admittit ac probat.

XXXIV. Deinde distinguendum est inter iustificationem fidei Paulinam, & iustificationem fidei Papisticam. Illa agit de fide non quatenus opus est; sed quatenus est in relatione ad meritum Christi: proindeq; non dicitur illi fides iustificare ἐνεργητικῶς, quod soli merito Christi proprium est; sed tantum θετικῶς, & ὡργανικῶς, respectu termini sui, nempe meriti Christi, quod apprehendit; ut iustificari fide sit idem, quod iustificari merito Christi fide apprehensi & applicati, juxta illud Pauli Rom. 3.v.22. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes & super omnes,* qui credunt. Et Rom. 4.v.6. *Deus imputat iustitiam absq; operibus.* Ad Galat. 2.v.16. *Scimus, inquit, non iustificari hominem ex operibus legis,*  
*nisi*

*nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus, ut justificemur ex fide Christi & non ex operibus. Ergo & fides ut opus excluditur ex hoc justificationis acto, cum simpliciter sine operibus justificationem fieri nos hic doceat Paulus.*

**XXXV.** Longè verò aliter docent Pontificii, nempe fidem justificare, ut opus & quatenus est in numero ceterarum virtutum habitualium. Quod verò est contra expressissima verba Pauli, omne opus qualemque etiam sit, excludentis, quod solum Christi meritum relinquatur, & hochonore afficiatur & celebretur, nempe quod solum justificet, & salvos nos faciat; ne quis glorietur, ut rursus disertè loquitur Apostolus *Eph. 2.v.9.* Hisce omnibus Pontificii sese opponunt, & contra faciunt. Nam ut ex demonstratis patet, *ex fide esse justificatum*, illis idem est, ac ex opere & virtute primi præcepti; *πληροφορία* esse justificatum: & sine fide neminem legem Dei implere posse, idē est iis, quod sine virtute tali primi præcepti, quæ fiducia est erga Deum & consequenter Christum, neminem legem Dei implere posse.

**XXXVI.** Qnōd quidem libenter concedimus. Si enim, qui in minimo contra legem Dei peccat, reus est totius legis; quidni etiam, qui in maximo? Verūm hanc hypothesisin Pontificiis nullo modo concedimus, aliquem dari, qui hic primæ tabulæ decalogi exaffe satisfaciat. Nam qui ejusmodi habet *πληροφορία*, ipsum posse Deum diligere ex toto corde, ex tota mente, omnibus viribus &c. veram *πληροφορία* non habet, sed falsam persuasionem, qua seipsum miserè decipit.

**XXXVII.** Falsissimum quoq; est, quod subjicit Beccanus, in verbis Apostoli contineri hanc minorem propositionem: *Atqui nemo suis viribus sine fide & gratia potest servare legem.* Quandoquidem fidem Pontificiam non justificare, & licet quis fide & gratiā Dei salvificā præditus sit, neq; sic tamen ipsum legem Dei servare posse, demonstravimus. Adde: quod planè nihil Apostolus de viribus: Sed quotquot ex lege volunt justificari, sunt Paulo maledicti. Ideoq; reverā minor à nobis posita, & ex Enthymemate educta, continetur in verbis Apostoli: *Qui volunt justificari ex lege, non servant vel possunt servare totam legem.*

38. Ra-

**XXXVIII.** Rationem hujus reddidit Petrus: *quia tentare Deum: si quidem jugum, quod portare non possunt, sibiipsis imponunt, & ab aliis exigunt, proindeq; tantum abest, ut legi Dei satisfaciant, ut graviter contra illam peccent. Quandoquidem gravissimis illis verbis: Quid tentatis Deum?* docet Petrus, omnem salutis rationem, prorsus everti, nec sine atroci flagitio intolerabile jugum credentibus imponi, si ad legis observationem adigantur, ut in hac justificationem querant.

**XXXIX.** Ceterum, argumentum, quod format Beccanus, (*Quicunq; vult justificari ex operibus legis, debet totam legem servare: sed sine fide per solas naturae vires nemo potest servare totam legem: Ergo sine fide per solas naturae vires nemo potest ex operibus justificari*) primū negamnis esse Apostoli: Nam minor non est ejus, ut demonstratum. Deinde absolute si proponatur sine respectu ad allegatam sententiam Paulinam, illud concedere possumus totum. Nam major est certissima, & confirmatur firmissimā adductā ratione: quia qui totam legem non servat, maledictus est, juxta illud Jacobi: *Qui offendit in uno, factus est omnium reus.* Minorem quoq; concedimus: Nam qui fide caret, in eo est defectus maximus: caret enim omnium sanctissimā virtute primi præcepti, nēpe fiducia in Deum. Ita ergo constitutis & confirmatis præmissis, nihil aliud dici potest, quam, conclusionem esse veram.

**XL.** Si autem porrò ex conclusione hac concessā (*sine fide per solas naturae vires nemo potest ex operibus legis justificari*) vellet inferre Jesuita: Ergo qui fide præditus est, ex operibus legis potest justificari. Negamus consequentiam; quippē quæ ex concessa conclusione eadem necessitate infertur, qua ex hac concessā, sine vita nemo est homo, infertur ista: Ergo quicquid vivit vel vitâ præditum est, est homo.

**XLI.** Quod attinet dictum ad Gal. 3.v.13. respondemus, falsum esse, quod sic simpliciter & sine limitatione statuamus, *Christum nos liberasse ab observatione legis*, cum omnino illa totius vitæ & omnium actionū justificati hominis norma esse debeat: Sed à maledictione liberatos nos esse cū Paulo docemus. Deinde neq; simpliciter credimus legem esse impossibilem justificare sum illa duobus modis nobis possibilis, & quidem merito

C

Chris

Christi, facta sit, nempe inchoative, quatenus gratia Spiritus sancti, merito Christi nobis acquisiti, adjuti, satisfactionem ejus in novitate vitae inchoamus: & deinde imputative, quod Christus nostro loco legi satisfecerit, ejusque; obedientia & satisfactio fide nobis imputetur, sicque; defectus, qui in nostra obedientia est, sane non exiguis, tegatur. Patet quoque, falsam esse Jesuitae interpretationem: cum contextus doceat, loge alio respectu illa scriptisse Apostolum, nempe respectu illius, quod praemiserat v.10. Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat illa. Non enim abs re videbatur objici posse: Quomodo fulmen illud maledictionis jactatum in transgressores legis protelari queat & elidi, cum nemo legem servare possit. Utitur ergo Apostolus occupatione, & proposito remedio, nodum hunc solvit, doceas, nos esse liberatos per Christum. Et hac occasione (inquit Hunnius) non tam repetit, quam potenter munit, & evidenter illustrat argumentum sub finem capititis antecedentis propositum, cum diceret: Christum hoc fine mortuum & crucifixum, ut nobis in articulo salutis opus non esset penderre a lege, a qua maledictio potius erat expectanda, quam salus, sed ut fide in crucifixum, liberaremur a condemnatione legis.

XLI. Hoc explicatio ex ipsis verbis de promititur, quae nihil omnino habent de somnio hoc Jesuitico, Christum persua merita nobis obtinuisse fidem & gratiam, nempe habitualem & inherenter, per quam possimus implere legem, & sic maledictionem evadere. Sancte in unctione legis ne  $\chi\varphi\delta$  quidem hic habetur, nedum de tali impleendi modo. Sed potius hujus redemptionis hasce quatuor sive circumstantias sive causas hoc versu Paulus explicat: nempe 1. efficientem, quae est Christus: 2. Formalem sive modum, quae est illius gestatio maledictionis seu suspensio de ligno. 3. Causam finalem, ut promissionem Spiritus Sancti & adjunctorum bonorum accipiamus. 4. Causam instrumentalem, fidem, quam nimirum spiritualia beneficia, solius Christi morte merita, apprehendamus, non primum mereamur, & sic nobis efficiamus, ut mentitur Jesuita: sed solus, inquam, Christus ab Apostolo definitur causa ἐπεγνωκη hujus unctionis, fides tan-

cum



tum ὅπῃαντη respectu nostri, illam impletionem cum omnibus spiritualibus beneficiis connexis nobis applicans.

**XLI** III. Videamus nunc tertium, quod Becanus adducit, argumentum & ejus imaginariam refutationem. Tertio, inquit §. 38. objiciunt illud Rom. 7. v. 18. Velle quidem adjacet mibi, perficere autem bonum non invenio, hinc sequitur, et si cupias legem implere, non tamen posse. Respondeo, non loquitur Apostolus de observatione legis, sed de carentia motuum concupiscentiae. Quasi dicat: Velle quidem carere inordinatis concupiscentiae motibus, sed non est in mea potestate. Velsic: Bonum est carere motibus concupiscentiae: Et hoc bonum appero & desidero, sed non possum perficere.

**XLIV.** Ponamus responsonem & explicationem hanc veram esse, & loqui Apostolum de carentia motuum inordinatorum concupiscentiae, & conqueri, quod, licet maximè velit & appetat, non tamen posset perficere, ut illus careat. Non verò ita pro sua erroneâ opinione respondet Jesuita, sed nostram orthodoxam sententiam nolens volens confirmat. Nam qui non potest perficere, ut careat inordinatis concupiscentiae motibus, ille non potest legem Dei implere. Atqui, affirmante Becano, Paulus non potest perficere, ut careat inordinatis concupiscentiae motibus: Ergo, affirmante Becano, Paulus non potest legem Dei implere: Et si non Paulus: Ergo neq; ullus alius justificatus.

**XLV.** Verum falsum est, intelligere Apostolum, sibi nihil esse præter inefficacem voluntatem, quippe qui ipsius operis efficaciam negat respondere voluntati: quia remorat in ieiunat caro, ne exactè faciat quod facit. Caro namq; carnalia cogitat, & spiritum vocantem non audit: Hinc fit, ut bene operari volentem carnis pravitas pro viribus impedit. Proinde hoc velle, cuius meminit, fidei promptitudo est, dum pios format Spiritus S. ut præsto sint, suaq; membra exhibere studeant ad præstandum Deo obsequium. Quia verò impar est facultas, se reperire negat Paulus, quod optandum esset, nempe boni desiderii effectum. Loquitur ergo revera de operis efficacia, quod non faciat, quod vult bonum, sed quod non vult, malum perpetret: verba sunt diserta, & ejusmodi sophismatis obscurari nequeunt.

**XLVI.** Quartum argumentum proponit, & suo more resolvit Beccanus §.40. Quarto objiciunt: Nemo potest vitare omnia peccata, ergo nemo potest implere totam legem: si enim totam impleret, jam vitaret omnem transgressio nem legis, & consequenter omne peccatum. Antecedens patet ex illo Jacobi 3.v.2. In multis offendimus omnes, & i. Johani. v.8. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Respondeo cum distinctione. Nam haec propositio (nemo potest vitare omnia peccata) potest dupliciter intelligi, 1. de peccatis mortalibus, & sic falsa est. 2. de venialibus, & sic vera est; Quilibet enim justus potest vitare omnia peccata mortalia; nemo tamen omnia venialia, saltem secundum communem & ordinarium modum divinae providentiae, de quo plura in seq. cap.

**XLVII.** Primum respondemus, omnia peccata sua natura esse mortalia Rom. 6.v.23. Et sic tota Beccani corruit responsio.

**XLVIII.** Deinde positâ illa nostra hypothesi, tanquam certa & firma, certum utiq; est, non posse hunc locum Jacobiam litter intelligi, quam de peccatis mortalibus, & ut sunt talia: quandoquidem loquitur Apostolus de peccatis, quatenus illis offendimus: peccatum autem ut offendit, iram Dei meretur, & sic veniale non est: Veniale autem sit, quando & quatenus ex gratia remittitur: sic enim offensa tollitur. Et sane emphasis verborum, & ipse contextus idem evincit, Jacobi sensum esse, quod nemo sit inter homines, qui non debeat agnoscere se magna peccatorum mole premi, illisq; Deum suum offendere: Ergo rursus agit de peccatis, ut sunt in se mortalia.

**XLIX.** Idem statuendum de dicto i. Joh. i.v.8. Nam rursus nihil efficit Jesuita sua distinctione, inter mortale & veniale peccatum. Quandoquidem de veniali peccato, neq; ex lege, neq; ex naturâ peccati est judicandum: cum omnis transgressio legis sive magna sit sive levis, contrahat reatum aeternæ maledictionis, ac proinde sua natura venialis esse non potest. Adde, quod talis requiratur a lege perfectio, qua non ex semisse, sed ex asse, vel, ut scriptura loquitur, ex toto corde, ex totâ animâ, ex omnibus viribus Deum supra omnia; proximū sicut seipsum diligat, Deut. 6.v.v.5. Matt. 22.v.37. Talis autem & tanta perfectio in mortaliū neminem cadit. Iibi enim naturalis est culpa, ibi est naturale odium Dei & proximi, adeò, ut Apostolus disertetur, omnes nos natura filios esse ira En. 2.v.3.

L.Ma-



L. Manet ergo, in nullum hominem cadere hac in vita, ut integrè & perfectè diligit Deum. Quod enim negant Jesuitæ, venialia peccata pugnare cum hac Dei dilectione, nugatoriū est & principium petit. Nam, ut diximus, sic iterum iterumq; repetimus, & inculcamus, venialia peccata naturā suā, & ex lege Dei etiam esse mortalia, ac proinde cum perfectā Dei dilectione stare non posse.

LI. Deinde ipse contextus verum sensum hujus dicti nobis disertè indicat, quod non agat de levissimis peccatis, quæ sibi Pontificii imaginantur, sed de illis, quæ contrahunt maledictionem. Vult autem indicare, ut perveniremus in *noivavicas* Dei, necesse omnino fuisse, ut sanguine Christi purificaremur: cū naturā justi & sancti minimè simus, & si quis opinione propriæ justitiae turgens, se peccati experiem diceret, is scipsum egregiè falleret, & veritas in eo nō esset. His ita explicatis, statim addit, quo pacto ab illis liberari & eorum remissionem consequi valeamus, atq; sic digni effici consortio & familiaritate Dei, nempè si confiteamur peccata nostra.

LII. Ergo de ejusmodi peccatis loquitur Apostolus, quibus excludimur ē consortio & familiaritate Dei. Atqui peccata illa nō sunt venialia sed mortalia. Deinde sunt ejusmodi peccata, propter quæ pertendus est Deus, ut nobis remittatur. Hinc sic argumētor. Quæ peccata nos à Deo separant, quorūq; remissio à Deo in verā pœnitentiā ardentissimis precibus propter Christū est impetranda, illa non sunt venialia sed mortalia peccata. At peccata, de quibus loquitur hic Apostolus, sunt talia: Ergo non sunt venialia sed mortalia.

LIII. Idem quoq; probat repetitio v. 10. quā propterea n̄s est, ut probè retunderet naturalem fastū superbientis humanæ naturæ, quæ difficulter suam deformitatē agnoscit. Quocirca ait, *tales homines, qui peccata sua non agnoscent, Deum ipsum mendacii arguere.* Unde sic argumentamur. Quicunq; semetipsos ē catalogo peccatorum expungere conantur, illi Dei sententiam cœlitus prolatam, qua universum genus humanum sub peccatū concluditur, & sic ipsum Deum, mendacii arguunt: Atqui Jesuitæ glorian-

gloriantes se peccatum mortale non habere, h.e. nullum peccatum (quia quod peccatum mortale non est, peccatum non est) semetipsos ē catalogo peccatorum expungere conantur. Ergo Jesuitæ Deum mendacii arguunt.

LIV. Eodem modo hic subsumi possunt Monachi & Moniales, dū persuasum sibi habent, se non modo legi Dei satisfacere ad plenum posse: verum etiam amplio ore gloriantur de operib. suis supererogationis, quæ in aliorum quoq; hominum salutem & beatitudinem exudent. Sanè horribilis hæc est cœcitas cum enormi fastu Pharisaico conjuncta: Nos autem juxta monitum Apostoli, libēter profiteamur nos peccatores, tribuamusq; cum Daniele soli Deo gloriam, nobis autē faciei Confusionem.

LV. Ultimum argumentum proponit Becanus §. 51. Quinto objiciunt: Christus est Mediator noster, non solum in prima justificatione, quā Deo reconciliamur, sed etiam postea in toto vitæ nostræ tempore, Ergo semper egemus intercessione Christi: Ergo semper peccamus & legem trāsgredimur, Alioquin post primam reconciliationem Christus esset otiosus. Respondeo: Christus semper est mediator noster, & nunquam est otiosus duplice de causa, 1. quia semper nobis vires & gratiam subministrat, per quam non peccemus, & bona opera faciamus. 2. quia emūdat nos à quotidianis peccatis venialib. in quæ frequenter incidimus, juxta illud: septies in die cadit justus.

LVI. Primū respondemus cum Dn. Mayfarto, argumentū hoc eā formā, qua affertur, non esse nostrū. Nunquā enim nobis in mentē venire potuit, ut statuamus, nobis semper peccandū esse, post primā reconciliationē, ne Christus sit otiosus mediator, sed semper occupatus in reconciliatione, qua nos cū Deo patre reconciliat. Sic, inquam, nos non cōcludimus: sed potius statuimus, quod omni conatu, quantum quidē in hac imbecillitate carnis fieri potest, peccatis resistere debeamus; si vero cōtingat, ut peccemus, nos verā consolatione in Christi meritū fundatā erigimus, & cū Apost. Johāne ex hoc ipso loco v. 9. verā fidei concludimus: Qnod si peccemus, confiteamur peccata nostra: quia fides est ac justus Christus, ut remittat nobis peccata nostra, & emūdet nos ab omni iniquitate. Et rursus cū Apostolo ex eadē epistola l.c. 2. Si peccaverimus, Advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum, justum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantu:n, sed etiam pro totius mundi.

1303  
57.Dc-



**LVII.**] Deinde ad responsionis Beccani ratione primam dicimus, quod quidē Christus justificatis semper suā gratiam subministret, ut bona opera faciat: cum ad id justificati sint, ut Deo in sanctitate & justitia serviant: verum ipsos propterea planè sine peccatis esse, disertē negat allegatis locis Johannes.

**LVIII.** Deinde in secunda ratione allegat dictum Salomonis, Prov. 24. v. 16. *Septies in die cadit justus*, Quod ipsi idem est, ac si Salomon dixisset, *justus frequenter incidit in peccata venialia*. Qui vero hujus dicti sensus nequaquam est.

**LIX.** Primū ergo tenendū est, in Hebræo illud *in die*, nō legi, uti neq; in græco, unde etiā Dn. Lutherus non latinam vulgarem translationē, sed ipsos fontes secutus, in Germanicis suis bibliis vertit: *Der Gerechte fällt siebenmal/omissio illo: def̄ Tages*.

**LX.** Deinde contextus disertē evincit, nō agi hoc dicto de justis peccantib. sed in calamitates incidētib.: sic enim cohæretia versuum. 13. 14. 15. 16. *comede, fili mi, mel, quia bonum est, & favum, quia dulcis est palato tuo: sic cogitatio sapientiae suavis erit animæ tue, si inveneris eam; & erit merces & expectatio tua non excideret*.

**LXI.** Sensus est, (inquit D. Franzius) sicut mel dulcissimū est, ita hæc sequens sapientia, seu, hoc sequēs, quod dabo, præceptū, dulcissimos fructus pio homini, qui illud observabit, præbebit.

**LXII.** Præceptū hoc statim subjicit Salomon v. 15. 16. *Ne insidieris, o impie, habitaculo justi, nec diripi as occubitum ejus in malum. Quia septies cadit justus & resurgit. Impii autem corruunt in malum.*

**LXIII.** Manifesta & satis diserta sunt verba, quib. pii sive justi & impii opponuntur non ratione peccatorū, sed calamitatū & æruminarum: Nēpe quod pii quidem frequenter cadant, hoc est, prolabantur in calamitates & ærumnas varias, quibus œconomia maximum detrimentū capiat, ipsiq; ad extremā paupertatem adigantur: sed non ut Impii. Quandoquidem Pii resurgent: Deus enim ex illis omnibus ipsos rursus eripit, ut testatur exemplum Jobi, Impii vero in malis suis ac infortuniis int̄tercunt, & misere pereunt. Nihil ergo hic locus ad rem præsentem.

**S O L I   D E O   G L O R I A.**



100-030-030-1303



99 A 6900

ULB Halle  
002 622 092

3




SB

Retro

VDT7





B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



TERTII  
Confessionem  
VIII.

de Quæstione,

X Decalo-  
possit.

Gta.  
mia VVittebergensi

S I D E  
RTINI S.S. Th.

rimario, Facult. Theol.  
i Arcis Præposito,

DENTÆ

ICHIQ, Gryphem-  
nerano.

ollegii Veteris  
es. April.

S E R G A E,

A U E R B A C H , Acad. Typogr.  
D C XXX.